



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 3. Quid tenendum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

tionis; consequenter, si moveant ad prædestinationem, effectus non erit causa suæ causæ; jam autem merita Theandrica sunt effectus, suo modo, unionis hypostaticæ: ideoque si unionem causarent, causaretur prius, ab aliquo posteriori, ad eoque causa, à suo effectu.

INSTABIS 2. Iusti merentur absolute gratiam habitualement & gloriam, licet gratia & gloria, sint præfinitæ ante prævisionem meritorum; quia præfinitur, ut conferendæ in ordine executionis, propter merita; Ergo poterit dici & unio hypostatica, decreta, intuitu meritorum Theandricorum.

RESPONDETUR. Casum antecedentis verum esse: quia, in quo signo intelligitur liberalitas, tanquam motivum prædestinationis, nondum intelligitur prædestinatio, sed se habet per modum posterioris: si se habet per modum posterioris, nihil sequitur absurdi, ut ipsa gratia & gloria cadat sub meritum; jam autem cum intelliguntur illa merita dignificata, unione hypostaticâ, hoc ipso jam intelligitur unio; si intelligitur, jam non potest habere rationem præmii, quia nec rationem posterioris. Rursus, quando decernitur liberaliter gloria, non decernitur dependenter ab actibus visionis ponendis, eo quod hoc ipso intelligeretur ejus antecedentia, cujus deberet intelligi sequela; ita nec potest decerni unio hypostatica, dependenter à meritis Theandricis, quæ sunt posteriora illis.

INSTABIS 3. Etiam hoc decretum unionis, factum est, ut respiciat unionem, tanquam dandam propter merita.

RESPONDETUR. Negando illud sic potuisse formari.

6. ARGUMENTUM est. Saltem potuit Christus, mereri excessum hujus unionis, præ illa; quia potuit Deus decernere humanitatē Christi, cum hac vel illa unione hypostatica indeterminate; & Christo sic præfinito, potuerunt videri merita, ex quibus prævisis, potuit velle hanc potius unionem. Pertrahat hoc punctum Aldrete disp. 27. & affirmat Sect. 4.

RESPONDETUR. Vi unionis hypostaticæ, potuisse mereri Christum, ut sibi, per posterius, daretur in præmium excessiva aliqua unio, neque enim tunc, deberet causari prius, à posteriori; non tamen potuit mereri primam unionem, ex dictis. Sed quia hæc merita, erant merita nunquam ponenda, non poterant movere efficaciter, ad dandam præsentem unionem: quod applica, etiam inferius dicendis.

INSTAT 1. Aldrete. Principium merens, quod est formaliter elicivum meriti, jam intelligitur determinatum, & simul merita præfinita; ergo illis potuit moveri Deus, ad conferendam unionem de se meliorem.

RESPONDETUR. Concedo totum. Sed nego, moveri potuisse ad conferendam unionem primam.

INSTAT 2. In ipsa unione distinguendum est per rationem, quid cadat sub præmio, & quid detur gratis? hoc enim fit etiam in humanis, dum commutantur dignitates.

RESPONDETUR. Hæc duo distingui posse; sed nego etiam hoc distincto, quod posset cadere sub meritum condignum, prima unio hypostaticâ.

INSTAT 3. Id, quod dignificat opus, non debet realiter distingui ab ipso præmio.

RESPONDETUR. Hoc concessio, negatur, quod opus non debeat semper habere prioritatem, respectu præmii; quam prioritatem non haberet, si primam unionem, ut dictum, mereretur.

INSTAT 4. Potest distingui in gratia, quod se habet per modum formæ dignificantis opus ad præmium; ergo idem dicendum de commutatione unionis hypostaticæ in meliorem.

RESPONDETUR. Concedo totum; sed nego, quod prima unio unquam cadat sub meritum.

INSTAT 5. Si meritum videatur infallibiliter elicivum, sive detur hoc principium, sive aliud, poterit, qui recepturus est præmium, pacisci cum remunerante, ut sibi detur hoc melius principium.

RESPONDETUR. Potest pacisci, ut sibi detur pro post, non autem primo; propter dicta.

7. ARGUMENTUM. Cum merita Christi sint infiniti valoris, & non possint sufficienter remunerari per præmia subsequencia, ideo extendere debent suam activitatem ad præmium, de quo hic.

RESPONDETUR. Non posse id fieri, quia causaretur à posteriori id, quod prius est; hoc autem repugnat.

Punctum Difficultatis 3.

Quid tenendum?

ASSERO 1. Opera elicita à natura per vires gratia, proprii naturæ ante unionem, nihilominus in instanti reali unionis, si sumantur prout sunt à parte rei, habent condignitatem indeterminate ad aliquam unionem hypostaticam.

RATIO. Quia adæquate sumpta dignificantur in re dignitate VERBI, respectu autem meritorum dignificatorum dignitate VERBI, non est excedens præmium, aliqua unio hypostatica, ut dictum supra.

ASSERO 2. Eadem opera sic sumpta, habent quidem dignitatem coæquationis, ad unionem hypostaticam propriam & primam, sed non habent rationem meriti. Partire dignitatem coæquationis à formalitate meriti, coæquatio, stat in æquali dignitate: formalitas autem meriti, stat in conditione actionis laudabilis, natæ habere collationem præmii, sui intuitu.

I. Pars Asserti

PROBATUR. Quia scilicet dignitas illius

* m

actio-

actionis, habet eandem dignitatem, quam unio hypostatica; ergo habet æqualitatem dignitatis.

II. Pars, in qua in præfenti difficultas.

PROBATUR. Tum, quia pro illo priori, & esset intelligibilis dignitas oriunda à Persona Verbi, utpote tribuens rationem meriti de condigno ad unionem hypostaticam: quæ dignificabilitas, ut supponitur, non potest haberi, nisi ab aliquo increato; & non esset intelligibilis: quia si esset pro illo priori intelligibilis dignificatio orta à Persona VERBI, & haberent antecedentiam merita ad illam unionem, utpote causa illius moralis; & non haberent antecedentiam: quia jam, pro illo priori, intelligeretur simultas unionis. Tum, quia si merita antecederent tempore, non haberent rationem meriti de condigno ad unionem hypostaticam; ergo etiam si sumantur priora intelligibilitate præ unionem, non sunt intelligibilia tanquam merita de condigno. Tum quia & essent illa merita de condigno, ut supponitur: & non essent: quia in antecedentia ad dignitatem, non sunt digna, essent enim digna sine forma dignitatis; sed, pro illo priori naturæ, haberent antecedentiam ad dignitatem: quia haberent antecedentiam ad unionem hypostaticam, quæ est illorum dignitas. Addo, implicat non præcessisse id, quod præcessit: sed si deberet vi meritorum subsequentium decerni Incarnatio, debuisset id non præcedere, quod præcessit: Ergo id implicat. Minor probatur. Si vi meritorum subsequentium decerni posset Incarnatio, ante illa merita non debuisset præcessisse decretum, utpote quid sequens illa merita; & tamen præcessit decretum, quia præcessit unio dignificans illa merita, adeoque & decretum circa illam.

Cæterum merita illa accepta non secundum condignitatem ab unione hypostatica derivatam, sed merè acceptam ex gratia, possunt esse merita de congruo, unionis VERBI. Quia non est ratio, cur Deus tot gratias conferre non possit creaturæ, cum quibus se congruè disponat ad unionem hypostaticam, accedente præcipue pacto, de illa danda in præmium; quod pactum non implicat.

DICES I. Nullum haberi fundamentum sic exaltandi merita, dignificata præcisè per dignitatem gratiæ.

RESPONDETUR. Haberi fundamentum in principio negativo, Non implicat; & in principio: quia est multa dignitas thesauri gratiarum.

DICES 2. Ergo non erit fundamentum, cur defuncto Christus sic non sit meritis unionem.

RESPONDETUR. Quia ex una parte non præcessit gratia unionem hypostaticam; & ex altera parte, quia omnis gratia, data Christo, intuitu unionis hypostaticæ, non ergo illam præcessit; quod requiritur ad meritam.

DICES 3. Merita naturalia non possunt mereri gratiam supernaturalem, etiam de con-

gruo: Ergo nec supernaturalia, unionem hypostaticam.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia antecedens docet Fides contra Pelagium: quod de consequenti non habetur. Rursus, quia gratia, per Augustinum, non esset gratia, si naturæ deberetur; quod non sequitur in casu consequentis. Et quamvis, in ratione entis & ordinis, non magis distent, meritum supernaturale & unio hypostatica, quàm natura & gratia; in ratione tamen præmiabilis, ex dictis, magis distant.

ASSERO 3. Merita prout non dignificata unionem hypostaticam, non sunt merita condigna ad unionem hypostaticam.

RATIO: Quia meritorum condignitas ad unionem hypostaticam, non apparet, quòd aliunde accipi possit, quàm ab aliquo increato.

DICES. Merita creata merentur de condigno visionem beatam, ergo & unionem hypostaticam.

RESPONDETUR. Disparitas est, quia majus est, habere in præmium Deum substantialiter ingredientem aliquod compositum, quàm esse Deum objectum actus intuitivi, si cætera adsint paria.

DIFFICULTAS III.

An Christus meruerit unionem per opera subsequenteria?

ASSERO I. Per merita subsequenteria, etiam prout non dignificata à Persona VERBI, poterat Christus mereri unionem hypostaticam de congruo.

RATIO: Quia ex una parte tale meritum non implicat, ex alia, dignificatio illius, haberi potuisset à gratia.

ASSERO 2. Opera Christi subsequenteria, poterunt habere veram rationem meriti de condigno, respectu conservandæ unionis, v.g. Opera Christi primâ horâ elicita, poterant habere vim merendi, ut conservetur unio hypostatica per æternitatem.

RATIO: Quia opera subsequenteria possunt mereri aliam unionem, imò & primam alteri; ergo possunt mereri & conservationem suæ unionis. Deinde, si quid obfaret, quominus mereri possent illa opera conservationem illius unionis, id ideo esset, quia præsupponerent unionem; sed hoc non obest, quia non præsupponerent unionem prout conservatam, sed prout antecedentem. Denique non implicat fieri cum Christo pactum, ut detur illi in præmium conservatio unionis, & ut, ex vi illorum operum prævisorum, decernatur conservatio.

DICES. Illa unio, prout antecedens opera subsequenteria, est causa operum subsequentium, & opera subsequenteria essent causa conservandæ illius unionis: ergo illa unio antecedens esset causa sui ipsius conservandæ.

RESPON-